DISPUTATIO INAUGURALIS DE HÆMORRHOIDIBUS, EARUNDEMQUE NIMIO FLUXU.

Quam

DEO OPTIMO MAXIMO
bene fortunante,

Ex decreto & authoritate

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET
Gratiosissimi Collegij Medicorum
Academiæ Argentoratensis,

*PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA
Honoribus atque Privilegijs Doctoralibus
impetrandis*

Publice & solenniter examinandam
proponit

M. ANDREAS Schilling/ ARGENTO-
RATENSIS.

Die 26. 4. Mensis Februarij,
horis & loco solitis.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.
M. DC. LII.

VIRIS
GENEROSO,
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS PRUDENTISSIMIS.

DN. PHILIPPO JACOBO Wormser/ Inclutæ hujus Reip. Argent. Prætori, & Quindecimviro, Domino suo Gratioso:

DN. JOACHIMO BRACKENHOFFERO, dictæ Reip. Consuli gravissimo, Patriæ Patri, Domino suo observanter colendo:

DN. HENRICO Haasen/ Ejusdem Reip. Tredecimviro Domino suo veuerando:

DN. JOHANNI CASPARO Pfitzern/

DN. ALBERTO Wesnern/

Reip. Argent. Quindecimviris dignissimis, Dominis suis honorandis:

DN. DANIELI IMLIN, Reip. Argent. Advocato & Consiliario, Excellentissimo, Domino suo æternum reverendo:

ut &

VIRIS
PLURIMUM REVERENDIS, CLARISSIMIS,

DN. M. MARTINO GROSIO, Sumi Templi hujus Civitatis Pastori vigilantissimo, Cognato, Fautori suo multis nominib us Colendo:

DN. M. JOHANNI GEORGIO Freyen/ Pagi Dorlesheim Pastori fidelissimo, Cognato suo amando:

Ultimum hocce Exercitium Academicum
Debitæ reverentiæ τεκμήριον
grati animi σύμβολον
D. O. C.
M. ANDREAS Schilling.

DISPUTATIONIS DE HÆMORRHOIDIBUS, EARUNDEMQUE NIMIO FLUXU.

THESIS I.

INter symptomata Ani, haud postremum obtinent locum, HAEMORRHOIDES. *Frequenter enim in praxi occurrunt, adeoque non nunquam enormes sunt & impetuosæ, ut ægrè admodum sisti queant, & propterea laborantem non raro ob spirituum dissipationem, caloris diminutionem, ac sanguinis, qui commune est totius corporis pabulum atque alimentum, effluxum, in vitæ discrimen adducunt. Quapropter cum mihi à Nobilissimo & Amplissimo collegio Medico, injunctũ fuerat, ut materiam pro* Inaugurali Disputatione *mihi pertractandam eligerem, elegi hanc ipsam materiam, totamque tractationem dispescam in duas potissimum partes,* Ονομαλολογίαν ϗ πραγμαλολογίαν. *Ac in illa quidem* Etymologia, Synonymia, Homonymia *&* Amphibolia. *In hac* Definitio, Genus, Pars affecta, Differentiæ, Causæ, Signa, *tùm διαγνωςικὰ, tùm προγνωςικὰ declarentur, tandemque* curandi ratio *proponatur.*

II. Etymologiam, *sive ipsius nominis rationem quod concernit, vocatur Græcis αἱμοῤῥοὶς, ἀπὸ τοῦ τὸ αἷμα δι' αὐτῆς ῥεῖν. h. e. quod sanguis per eam* (loquitur enim hic author. def. med. in singulari) *fluat. Latinis sanguinis fluxus sonat, ab effectu.*

III. *Hanc excipit* Synonymia; *Veteribus appellantur venæ*

 sedales.

ſedales, venæ Hæmorrhoidales Herc. Sax. pr. l. 3. cap. 34. *item mariſcæ*, Vid. vid. de curat. membr. lib. 9. cap. 28. Gallis, *Flux de ſang*; *Caqueſangue*. Italis *Il male chimato morice*, Germanis der blutfluß / ſo da kompt auß den Adren hinden am Affter / oder die Gulden-Ader / *à commodo, quod valetudini præſtant, uti Divus ſenex* Hippocrates *hinc inde in ſuis aphoriſmis, inprimis* ſect. 6. aph. 11. & 21. *teſtatur, quoties naturæ beneficio tempeſtivè apertæ, aut qualitate noxium humorem, aut quantitate gravantem, deponunt, quod enim utile eſt, id illi aureum ſubinde vocare ſolent, atteſtante* Reiner. Solen. conſ. 20. ſect. 4. *cum autem adhùc occluſæ ſunt, tumentve, & dolores excitare laborantibus ſolent, ſive intus in podice ſint, ſive foris promineant, à noſtratibus vocantur*, die Feigwartzen.

IV. Synonymiam *ordine inſequitur ipſa* Homonymia, *ſumitur enim vocabulum*, αἱμοῤῥοΐς, *in Generali, ſpeciali, & ſpecialiſſima ſignificatone*. In Generali *quidem, pro omni ſanguinis ex quacunque parte effuſione, & fluxu, accipitur, hac ratione idem ſonat ac vocabulũ* αἱμοῤῥαγίας, *ſicut videre eſt apud* Celſum l. 2. c. 8. *quando parte* Hipp. locum 2. Prorrh. explicat. Deinde *ſumitur* ſpecialiter, *ſaltem de eo ſanguine qui è venis ani & uteri fluit, ut ex eodem* Celſo, l. 6. c. 18. *colligitur. Verum uſus penes quem & jus eſt, & lex, & norma loquendi (ut verbis* Horatij *utar) obtinuit, ut* ſpecialiſſime *pro eo ſanguinis fluxu, qui fit è venis Ani, accipiatur; nec ſolum de ſanguinis fluxu ex hiſce venis, verum etiam de ijs ipſis venis vocabulum haimorrhoidum uſurpatur, uti ex Anatomicis ſcriptoribus conſtat*.

V. *Denique* Amphiboliam *quod attinet, ſumitur vocabulum* αἱμοῤῥοΐς, *pro certo Anguium genere, de quo* Gal. l. de Theria. ad Piſ. c. 8. *verba facit, quod qui demorſi ab his fuerint, ſanguine per os, nares, & univerſum corpus, erumpente, moriuntur. Sicuti illi, qui à* Dipſade *percuſſi, ſitis incendio miſere pereant: nam ſupra modum ſitientes, & vehementer æſtuantes, atque nonnunquam fatiſcentes, intereunt. Et* Paulus AEgineta de art. med. l. 5. c. 16. *inquit*,

inquit, ab Haimorrhoi morsu graves statim dolorum vexationes insurgunt, & ex earum continuitate breves omnino & angustas raritates præbent, multus etiam sanguis è morsu erumpit; & si cicatrix quæ in toto corpore inducta fuerit rumpatur, & sanguine defluat, cruenta egeruntur excrementa, interque mejendum pro urina in exigua frusta quasique minimos globulos densatus redditur sanguis. Extussiunt porrò è pulmone, cruenta, denique evomentes tanquam deplorati pereunt, hæc ille. Verum nomen traxit hoc anguium genus ab effectu teste Avicen. l.4.fen.6.tr.3.c.7. *&* Aet.tetrah.l.13.c.23.

VI. *Absoluta* ὀνομα[τ]ολογία, *ad* πραγματολογίαν *deveniendum erit, in qua consideranda venit ipsa DEFINITIO, quæ ab Autoribus, variè proponi solet.* Nicol. Pis. l.3. c.17. *ita definit: Haimorrhois est tumoris genus, quod intra sedem nascitur, cum ora venarum intra Anum tanquam ex quibusdam capitulis tument & sæpe sanguinem fundunt.* Guiliel. Rondelet. l. 3. c. 27. *hanc proponit: Haimorrhoides nihil aliud sunt quam venæ dilatatæ, aut factæ varicosæ. Sed nos, (salvo tamen aliorum judicio) talem damus. Haimorrhois est sanguinis profluvium confertim è venis Ani criticè vel symptomaticè factum. Licet* Author Def. med. *existimet haimorrhagiam ab Haimorrhoidibus differre in eo, quod non ita confertim fiat fluxus Haimorrhoidalis, quemadmodum in* αἱμοῤῥαγία, *fieri solet, verum praxis quotidiana, nos longe aliter docet.*

VII. *Ex Definitionibus modo allatis constat & esse symptoma, & esse morbum;* Symptoma *quidem, in genere immodice excretorum. Sequitur autem vel symptoma aliud, nempe retentricis facultatis imbecillitatem, aut expultricis lacessitæ indignationem; vel solutam in morbis continuitatem.* Morbum *vero esse dicimus, in instrumento, cavitate sc. dilatata, talis enim fluxus fieri non posset, nisi ipsarum venarum oscula aperta atque dilatata essent, inquit* Alex. Massar. l. 3. c. 24.

VIII. *Hic autem quæri solet, qualis nam sit excretio ista? Et plerique omnes respondent, excretionem toto genere præter naturam.* Galenus enim l. de vivor. anat. c. 1. & l. de cur. per S. M. c. 5.

 comm.

comm. 3. aph. 64. & l. 6. de loc. aff. c. 4. *scribit, sanguinem esse vitæ thesaurum, naturæ dilectum filium, commune corporis nostri pabulum, fomentum nativi caloris, succumque nobis valde amicum, imò eorum omnium quæ in corpore nostro sunt, maxime nobis familiarem. Ideoque illum sibi reservare quam maxime studet. Quod si erumpat, non immerito evacuationem toto genere præter naturam esse credendum: quoniam id excernitur, quod est naturalißimum, quodque in corpore manere debet.*

IX. *Verum nos distincte respondendum esse arbitramur, inter fluxum symptomaticum & criticum. Symptomaticum fluxum sanguinis, excretionem præter naturam esse putamus, & ratione temporis, si fiat statim in principio acutorum morborum, & ratione materiæ effluentis: Criticum vero, nequaquam talem exeretionem statuimus: Quoniam fieri solet ex propria naturæ intentione, conantis se liberare ab eo onere, quo veluti gravi sarcina premebatur. At quod studio & opera Naturæ fit, quomodo toto genere præter naturam dici potest? Sive ergo sanguinis abundantia in sanis, sive superfluus ac vitiosus in ægris Naturæ instinctu excernatur, talis sanè excretio naturalis & critica, neutiquam toto genere præter naturam vocari meretur.*

X. *Sed si symptomaticè statim in principio morborum, nullis prægreßis signis concoctionis, nullo cum levamine decumbentis, neque in die aliquo decretorio, sanguis evacuetur, haud immeritò vacuatio toto genere præter naturam censetur: præsertim cum non sanguis, sed humor alius ægritudini occasionem & ansam præbuit. Excernitur enim, quod causa morbi non est, quodque manere in corpore debet.*

XI. *Objcies ulterius, sanguinem naturalißimum quid esse. Qui E. illius excretio, non poßit toto genere præter naturam nominari? Respondemus Naturalißimum quid esse & Naturæ familiarißimum, si neque in quanitate, neque in qualitate peccet. At si nimius sit in quantitate, aut in qualitate vitiosus, tantum abesse, ut Naturæ familiarißimus sit, ut etiam eidem plane adversetur.*

Nimius

Nimius enim de quo nobis sermo est, suffocationem nativi caloris, Tabem, Cachexiam, Hydropem aliosque periculosos ac lethales affectus minatur; uti Galenus *&* Hippocrates *multis in locis docent. Si enim naturalis sit hic fluxus secundum* Galenum l. 6. epid. comm. 3. text. 25. *tres hasce potißimum conditiones habeat necessum est. I. Quantitatem proportionatam, ita ut eo fluente, æger sentiat, se leviorem factum, & liberetur à morbis, quibus tenetur, nullamque persentiat imbecillitatem. II. Debet habere qualitatem debitam, ut sit sanguis niger, craßus, terreus, nam à natura ideo hæ venæ factæ sunt, ut sanguis melancholicus per eas expurgetur. III. Debet correspondere tempori determinato. quæ requisita in nostro affectu non inveniuntur.*

XII. *PARS AFFECTA est Anus, vel potius venæ, quatenus per illas fluxus fit sanguineus, uti* Ferdin. Epiphan. hist. med. 16. *testatur. Afficiuntur autem hæ venæ, vel per Consensum, vel per Essentiam. Per* Essentiam, *quando aperiuntur, rumpuntur, vulnerantur, eroduntur, contanduntur, aut ita rarefiunt, ut tenuior sanguis per illas quasi transcolari, & veluti sudor transmitti poßit. Per* Consensum, *Cum sc. partes aliæ v. g. Lien fæculentum sanguinem, vel Hepar calidum, acrem atque mordacem, in has venas se exonerant.*

XIII. *At, de exortu harum venarum lis est atque contentio inter Anatomicos, pariter ac Medicos, utrum sc. hæ à vena Cava, an verò à vena Porta ducant originem.* Illi, *qui à vena Cava provenire contendunt, ex* Gal. l. 2. de Art. Cur. ad Glauco c. 10. & l. 2. de nat. facult. c. ultim. *Colligunt. Addunt insuper, homines liberari ex hoc fluxu dolore capitis. Cuius rei exemplum profert,* Hercules Saxonia. *Apoplexia.* Hippocrates, *Epilepsia* Hieronimus Mercurialis, *& alijs quam plurimis affectibus, quod neutiquam foret, nisi hæ venæ, à vena cava ducerent originem.* Hi, *qui à vena porta derivare fatentur, asserunt splenеticos esse huic morbo obnoxios, ob venæ portæ ramum, quia lienibus magnis & duris, si super veniat valde confert, quia melancholicis & Nephriticis prosunt,* teste Hippoc. s. 6. aph. 11. 21.

14. At-

XIV. *Attamen existimamus aliquos ramos à Porta, non nullos vero à vena Cava, ortum ducere. A Cava namque proveniunt rami quidam ad finem intestini recti, musculique sphincteris dicti, terminantes, in quo quandoque; quatuor, tres, duo, & unus, observatur, quæ venæ dicuntur Hæmorrhoidales externæ; Paulo inferius sunt aliæ venæ, provenientes à vena Porta, quæ dicuntur internæ; Illæ Plethoræ vacuatrices: Hæ Cacochymiæ depletrices, vocantur, de qua re tamen plura videri possunt apud Anatomicos.*

XV. *DIFFERENTIAE petuntur à variis rebus, vel à forma, vel à situ, caussis, modo generationis, quantitate, duratione, & quæ sunt hujus generis aliæ.*

XVI. Ratione formæ, *alius est* Criticus, *quando natura die Critico, prægressis signis πεπασμῦ illum excernit, fitque cum εὐφορίᾳ ipsius laborantis, sicut aliàs per nares, in utroque sexu, aut per venas uterinas, in mulierib. natura eijcere solet. Alius* symptomaticus, *qui vi morbi, seu causæ morbificæ, Naturam copia gravantis, aut qualitate morbosa stimulantis, & irritantis, in principio statim morbi, nulla cum decumbentis alleviatione, sed potius cum dispendio virium accidit, qui sane fluxus toto genere præternaturam dicitur.*

XVII. Ratione situs *aliæ sunt internæ, quæ è ramo splenico venæ portæ oriuntur, & per mesenterium circa colon & intestinum rectum extensæ, terminantur in musculis ani, & intestino interiori: Aliæ externæ, quæ è ramo venæ cavæ Epigastrico oriuntur, & in externas intestini recti partes, ani musculos sc. disseminantur, hinc inquit* Clarissimus Sennertus l. 3. Pr. p. 2. sect. 2. c. 13. pag. 417. *Quæ à Porta ortæ, solum intestinum rectum nutriunt; quæ vero à Cava proveniunt, musculos.*

XVIII. *Sunt præterea aliæ* apertæ, *quæ sanguinem fundunt copiosissimum test.* Paulo l. 3. c. 59. & Aet. l. 14. c. 5. *aliæ,* Cæcæ *(vel potius ut* Platerus Tom. 2. pr. c. 15. *clausas & dolentes rectius dici existimat) dicuntur tumentes, quæ tantum tument & nihil excernunt.* Reiner. Solen. s. 4. cons. 20. *Hæ valde dolent, inprimis cum excrementa excernuntur, imo interdum à dolore & sanguine affluen-*

affluente, neque exitum inveniente, inflammatio excitatur: ait Herc. Saxon, l. 3. c. 35. *&* Alex. Massar. l. 8. c. 24.

XIX. Ratione causarum, *alius proficiscitur à causis internis, alius, ab externis, quas jamjam enumerabimus.*

XX. Ratione modi generationis, *alius insequitur symptoma aliquod v. g. infirmitatem naturæ & facultatis retentricis, non potentis orificia vasorum claudere, & sanguinem in illis detinere, alius morbo succedit, E. gr. alicui continui solutionis speciei.*

XXI. Ratione quantitatis *effluentis sanguinis, vel enormis est valdeque impetuosus, ita quidem uti ex observationum scriptoribus liquet, ut singulis diebus duæ libræ sanguinis aliquibus effluxerint, vel minus talis & remissior.*

XXII. Ratione durationis, *alius durat diu atque continue v. g. ad dies 6, 7, 9. imò ut ex* Observ. 160. Schenckij *videre est ad 45. dies; alius brevi cessat, sed per intervalla revertitur. Hinc quidam dicitur periodicus, qui certis quibusdam temporibus redit, v. g. singulis mensibus de quibus* Ant. Cimar. comm. ad c. 10. lib. de sem. Arist. *&* Andr. Vesal. hist. natur. Anatom. l. 5. c. 15. *habent historias: aliis semestribus singulis, alijs singulis annis, inprimis autumno attestante* Epiphan. Ferdin. hist. med. 16. *hoc enim tempore melancholia maxime dominatur in corpore juxta* Hipp. Aph. 22. sect. 2. *alijs quartenis, & septenis, quibusdam citius, quibusdam tardius evenire confirmat* Reiner. Solen. l. cit. & Guilielm. Rondel. l. 3. c. 23.

XXIII. *Præter dictas differentias*, Galenus lib. de fin. med. *quinque adhuc proponit sc. à magnitudine, numero, figura, loco & constitutione, desumptas.*

XXIV. 1. Ratione magnitudinis, *aliæ sunt magnæ, aliæ parvæ, aliæ mediocres.*

2. Ratione numeri *aliquando sunt plures, ut thes. 14. dictum aliquando pauciores.*

3. Ratione figuræ *sunt variæ. Arabes quatuor agnoscunt ut* ex Avicen. l. 3. fen. 17. c. 2. *patet. Aliæ VERRUCALES, quæ*

 longæ

longæ sunt, & Verrucis simillimæ, hæ ab humore melancholico maxime conflantur: aliæ V V A L E S, *hæ sunt rotundæ, latæ & formam grani uvæ habentes, quæ à mista materia sanguine sc. & sûcco melancholico dependent; aliæ* M O R A L E S, *à forma mori fructus, quam repræsentant, dicuntur; atque hæ à sanguine bilioso, & tenuiori generantur: aliæ* V E S I C A L E S *appellantur, quia vesicas piscium ventrum assimulantur, & ab humore pituitoso originem trahunt.*

4. Ratione loci *aliæ sunt in ano, aliæ extra anum, de quibus tamen* thes. 17. *dictum.*

5. Ratione constitutionis, *aliæ sunt mites, aliæ malignæ, Cancrosæ, & gangrænosæ.*

XXV. *Denique alius est Hæreditarius ita quidem ut hic fluxus, à parentibus in filios fuerit derivatus, cujus rei exempla multa hinc inde apud* observ. script. *extant vid.* Schenck. lib. 3. obs. 156. Rein. Solen. d. l. *alius demum nobis in lucem editis supervenit, ut apud.* Petr. Forest. lib. 23. de Aff. Ani obs. 3. *videre est, qui fluxus si sanis contingat, morbosus nulla ratione est censendus, quoniam laudabile naturæ bene operantis opus est, quemadmodum* thes. 9. *diximus.*

XXVI. *CAVSAS Hæmorrhoidum quod attinet, sunt illæ vel Externæ, vel internæ.*

XXVII. Externæ, *sunt Caliditas aeris ambientis teste* Lazar. River. obs. 5. *Anni tempus.* Hipp. s. 3. Aph. 21. *Regiones imprimis meridionales magis enim his sunt familiares, septemtrionalibus, quod illarum incolæ, sanguinem calidiorem, magisque adustum, harum, frigidiorem habeant.* Sen. l. 3. Pr. pag. 2. s. 2. cap. 13. *item etiam à nimio frigore, austris vel aquilonibus perseverantibus excitare possunt.* Petr. Forest. l. 23. obs. 4. Schol. *diuturnior mora sub sole, & ambulatio frequens,* Ioh. Hier. Pulv. pr. c. 61. *Cibi calidi acres atque mordaces, quales sunt, aromatibus valde conditi, aut sale multo imbuti: adhæc synapi, raphanus esculentus & rusticanus, allium, cæpa, porrum,* Hier. Mercnr. Cons. Tom. 3. cons. 121.

Vina

Vina generosa & potentia, *idem Exercitia corporis valida*, Hier. pulv. d. l. *Iracundia & excandescentia* Hier. Mercur. lib. 3. prax. c. 24. *Talia siquidem sanguinem inflammant, & attenuant, vasaq; aperiunt*, *idem quoque facit mæror atque tristitia*. Epiph. Ferd. l. cit. *idem quoque à nimiis curis, quale exemplum profert*. Hieron. Mercur. Conſ. Tom. 4. conſ. 1. *& hæc de necessario nos alterantibus*.

XXVIII. *Non necessario nos alterantes quod spectat causas, sunt illæ variæ ac multiplices, ex medicaminum genere, sunt omnia acria atque mordacia v.g. glandes sale exasperante nitrove injectæ, suppositoria crassa* Ioh. Foreſt. *atteſtante* l. c. *Clysteres quoque acuti, nec non medicamenta aloe præparata*. Reiner. Solen. loc. cit. *sunt præterea contusiones, vectiones, equitationes conatus maximi in excernendis fæcibus vel etiam partus exclusione, sessiones super rem duram, frictiones duriores, & quæ sunt hujus generis aliæ*.

XXIX. Internæ *sunt* Ἀναςόμωσις, *orificiorum vasorum deductio sive apertio*, διαίρεσις *illorum divisio, disruptio*, διαπήδησις *tunicarum quæ in vasis sunt rarefactio, has causas omnis sanguinis fluxus esse scribit* Gal. l. 5. m. m. c. 3. & l. de ſympt. diff. c. nlt. & l. 3. de cauſ. ſympt. & diff. c. 2. *quare & hoc sanguinis profluvium tribus his modis fieri potest, etiamsi non omnes æque frequentes sint*.

XXX. *Rarius namque per* διαπήδησιν, *& non nisi quando sanguis aquosus est, transfluit: tum etiam paucus est, & quocunque tempore sedentibus, stantibus, euntibus, anum ichore quodam humectat, & hic sanguis vel provenit à ramo venæ cavæ, vel venæ portæ, causa est maligna aliqua qualitas, quæ vasa exedit, atque rarefacit*. Gal. l. 5. m. m. c. 2.

XXXI. *Frequentius per* διαίρεσιν, *venarum divisionem, non quod iis in locis vulnerari facile queant, sed quod ob causas non necessario nos alterantes eveniat. v.g. Vociferatione ingenti, equitatione frequenti, violenta spiritus cohibitione, contusione, &c.*

XXXII. *Per* ἀναςόμωσιν *autem, quando extrema illarum*

 orifi-

orificia aperiuntur, quod accidere solet, vel à nimia sanguinis copia, quando is sua mole premit, ita ut tandem vasa rumpi necessum habeant. Rein. Sol. d. l. Hippocr. sect. 6. aph. 11. *vel ab ejusdem fervore & acrimonia, vel à tenuitate & aquositate, vel à retentricis infirmitate, non potentis vasa claudere, quo fit ut reseratis eorum osculis, sanguis copiosissime effluat, vel à robore expultricis, gravatæ à sanguinis melancholici, aut pituitosi humoris copia, aut lacessitæ ab ejus prava qualitate. Sic enim duabus caussis concurrentibus fluxus fit concitatior, atque immoderatior.* Galen. lib. de sympt. differ. cap. 6.

XXXIII. *Et hæc de caussis in genere dicta sufficiant, in specie autem si nimium fiat hic fluxus, & quantitate aucta peccet, caussa est, vel in ipsa vena, ubi ea nimium relaxata, & ampla est, vel orificium ejus nimium aperitur, & reseratur, ita ut sanguis à facultate retineri nequeat, sed eam necessario fluere permittat: vel in materia, si tenuis sit, & fluidus, copiosus, & cum impetu ad venas Hæmorrhoidales ruat: vel acris simul sit, aut medicamentum aliquod acre aut vehemens assumptum, facultatem plus debito stimulet, atque irritet: Vel denique in facultate, cum retentrix sit debilis, quæ sanguinem, vel humores alios à reliqui corporis & venarum expultrice robusta ad venas hæmorrhoidales propulsos, retinere non potest, vel expultrix fortis, & stimulata, copiosius & simul etiam laudabilem & bonum sanguinem excernente.*

XXXIV. *SIGNA DIAGNOSTICA quod attinet oculis patent, ideoque non opus esse videtur de illis verba facere, interim tamen iis opus est ut sciatur unde fluxus hic fiat, & per quem modum, denique quæ illius caussa existat.*

XXXV. *Unde provenit an sc. à vena cava, an vero à vena porta dispiciendum. Si à vena porta fluxus hic oriatur, color sanguinis effluxi erit nigricans, neque erit purus, sed aliis humoribus permistus, quoniam hæ dicuntur cacochymiæ depletrices: si à vena cava, sanguis erit rubicundus.*

XXXVI. *Per quem autem fluat modum, utrum nimirum*

per

per ἀναςόμωσιν, an per διαίρεσιν, an vero per διαπήδησιν, deprahendetur vel ex qualitate vel quantitate ipsius sanguinis. Si enim sanguis ratione qualitatis est aquosus & tenuis, ratione quantitatis paucus, fit per modum διαπηδήσεως; si per ἀναςόμωσιν, sanguis erit paulo crassior, & in majori quantitate defluit; Si per διαίρεσιν, sanguis subitò & derepente, in majori quantitate, quam in ἀναςομώσει egreditur.

XXXVII. *Causa vero ἀναςομώσεως, si sit sanguinis copia atque abundantia, nobis innotescit, ex iis signis, quæ Plethoram patefaciunt. v. g. ex venarum tumore, rubore faciei, tensione venarum, habitu corporis εὐσάρκῳ, iis denique causis quæ Plethoram producere solent, e. g. Consueta alicujus vacuationis intermissio, victus liberalior, vita otiosa atque sellularia, ætas virilis, anni tempus. Si à sanguinis fervore, subtilitate, & acrimonia, id venamur ex Hepatis caliditate, si nata ob tenuitatem & aquositatem, id sanguis qui emanat, manifestabit.*

XXXVIII. *Si genita ab infirmitate retentricis, tunc cæteræ quoque facultates ferè languent, & sanguis interpolatis vicibus effluit, isque non admodum copiosus: præcessit etiam ut plurimum affectus aliquis, qui Hepar genusque venosum, enervavit.*

XXXIX. *Si διαπήδησις in causa est huncque affectum produxit, sanguis quantitate paucus, stillatim guttatimque, qualitate vero tenuis & serosus profluere solet.*

XL. *Quantum vero ad ea signa, quæ distinguunt sanguinem criticè evacuatum. à symptomatico? duo erunt præcipua. I. Tolerantia ipsius ægri. II. Excretio humorum quæ proportionata est humoribus in corpore reduntantibus.*

XLI. *Cum vero aliis etiam in affectibus sanguis, vel aliquis humor excrementitius per sedem reiiciatur, quomodo hic affectus ab aliis discernatur, videndum.*

XLII. *Et primo quidem à fluxu Hepatico distinguitur, quod in illo semper adsit hepatis imbecillitas, & sanguificationis læsio, non idem in fluxu Hæmorrhoidali.*

XLIII. *Deinde à Dysenteria differt, tùm ratione situs doloris, tùm ratione modi excernendi. In dysenteria enim semper adest dolor, isque in superioribus intestinis; seu supra rectum intestinum, in Hæmorrhoidali non semper adest dolor, & si adest, est potius in fine recti intestini, & in ipso ano seu podice. In dysenteria etiam plerumque excernuntur ramenta primum & mucus intestina obliniens, donec exulceratio, eo usque penetret, ut etiam venas mesaraicas erodat, atque tum demum incipit sanguis excerni, isque vel muco, vel excrementis per mixtus, in hoc vero fluxu, ab initio sanguis isque impermixtus prodit, vel si etiam alia excrementa simul excernantur, ijs tantum adhæret, non autem permiscetur.*

XLIV. *Sequuntur PROGNOSTICA.* Galenus lib. 9. meth. med. cap. 10. *inquit, Enormes & immodicæ sanguinis per Hæmorrhoides eruptiones, spiritus exhauriunt, calorem nativum penè extinguunt, concoctionem lædunt, decolorrationem efficiunt, eruditates gignunt, apoplexiam, paralysin, cachexiam, hydropem inducunt, imo totum corpus refrigerant, jecorisque ac ventriculi debilitatem summam adferunt.*

XLV. *Idem* Comm. aphor. 22. sect. 2. *ait, sanguis cum supramodum aut ex utero muliebri, aut ex venis quæ Hæmorrhoidales vocantur, aut ex ulcere fluxerit, tunc vel omnes, vel plurimas operationes, ij, qui ita affecti sunt, offensas habent.*

XLVI. Aetius l. 15. c. 5. *inquit, deformem & miseram vitam Hæmorrhoidum nimium fluxum inducere, propter caloris solius vitiationem; miseram vitam, propter corporis debilitatem; &* Gal. lib. 1. ad Glauc. cap. 14. & lib. 2. de præsag. ex puls. cap. 4. *testatur ex nimio Hæmorrhoidum fluxu fieri, animi deliquia, pulsus vermiculares; imo præter dicta symptomata, mortem etiam consuevisse, quare idem* sect. 4. aph. 15. ad fin. *docet, evacuationi per Hæmorrhoides, non esse naturam assuefaciendam, quoniam periculosus est excessus, sive supra modum sanguis excernatur, sive ex toto supprimatur.*

XLVII. *E contra magnas utilitates adfert hic fluxus, si mode-*

moderatus sit; & licet non instituti nostri ratio de ijs aliquid dicere in specie quæ secundum naturam fluant; tamen ex Hippoc. 6. Epid. com. 3. c. 37. *lubet apponere hæc verba. Sangui fluis venis laborantes, neque morbo laterali, neque peripnevmonia, neque phagedæna, neque inflammatiunculis, quæ dothiones vocantur, neque ijs qui terminthi, fortasse neque lepra, fortasse neque aquæ inter cutem, vel tabis impendet*, & Aph. 11. sect. 6. *Melancholicis & Nephriticis, Hæmorrhoides supervenientes bonæ sunt*, & Aphor. 21. ejusdem sect. *Insanis si varices & hæmorrhoides supervenerint, morbi fit solutio.*

XLVIII. *Superest ut de* CVRATIONE *aliquid dicamus, quæ pro varietate causarum, varia & multiplex existere solet. Respiciendum autem hic est Primò, ad morbum unde fluor manat, qui vel est ἀναστόμωσις, vel διαίρεσις, vel διαπήδησις. Secundò, ad sanguinem qui effluit. Hic peccat vel in quantitate vel qualitate, vel motu. Tertiò, ad symptomata, nimirum retentricem facultatem, & fluxum sanguinis, ita enim aliquando imbecillis est atque infirma facultas retentrix, ut neque vasa claudere, neque sanguinem retinere valeat.*

XLIX. *Quapropter si hæmorrhoides factæ sint per ἀναστόμωσιν, orificia vasorum claudenda sunt, si per διαίρεσιν, glutinanda; si per διαπήδησιν, contensanda: perpetuò enim contraria contrariis opponenda: Si sanguis peccat in quantitate, minuendus: si in qualitate, acri & calida, contemperandus & refrigerandus; si in tenui & aquosa; incrassandus: si virtus retentrix debilis, corroboranda. Fluxus denique ipsius sanguinis coercendus & compescendus si quidem sit enormior, viresque deijciat, ægrumque enervat.*

L. Divertunt *autem* sanguinem, & à venis hæmorrhoïdalibus avertunt, *sequentia. Primum* venæ sectio *basilicæ brachij dextri, (attestantibus* Alex. Massar. pr. l. 3. c. 24. Joh. Hier. Pulv. l. cit.) *mature instituta, priusquam vires deficiant, & vicibus quidem iteratis.* Guilielm. Rondel. lib. 3. cap. 23. *brevi interposito tempore, ter quaterve in die: ea namque ratione Naturæ alia via monstra.*

monstratur, & ita sanguis à parte affecta avertitur & avocatur.

LI. *Deinde* cucurbitulæ leves *Hypochondriis, imprimis vero sinistro appositæ* (Laz. River. d. l.) *cum scarificatione, profluvium enim ægregiè retinent, illud præcipue quod ex ramo venæ portæ derivatur. Lumbis vero admotæ, efficaciter fluxum sistunt, quando ex venæ cavæ propaginibus duxerit originem, itemque non scarificatæ scapulis & mammis affigendæ.*

LII. *Tertio* frictiones & ligaturæ dolorificæ *partium superiarum.* Epiphan. Ferdin. hist. 16.

LIII. *Quarto per* cauteria, (*sed dextrè adhibita*) *hæc enim teste* Hipp. de Hæmorrhoid. *materiam fluentem revellere, fluxam citiùs atque validiùs consumere, partibusque robur addere possunt, quo nomine etiam à Græcis & Arabibus Medicis ferè omnibus commendantur, tamen cum vehementioris præsidij materia sint; ex levisculo errore, non rectè ad usum accommodata, plurimum damni afferre solent, meritò in suspicionem vocari poterunt. Vterum videlicet in nimio hæmorrhoidalis fluxus excessu, cum fructu applicanda videantur. Verum uti in principio hujus Theseos diximus si dextre adhibeantur illarum usum minime esse damnandum.*

LIV. *Quintò* Purgantia *si non solum sanguis abundet, sed plethoræ etiam adjuncta sit cacochymia biliosa præsertim & serosa ea enim & vacuant, & revellunt. Vsurpanda autem mitiora v. g. Manna, Tamarindi, Myrobalan. citrinæ, & Chebulæ. Rhabarb. Cass. fistul. Syr. Rosar. & Viol. solutio. simpl. syr. de Cichor. cum Rhabarb. syr. è fl. persic. syr. de Rhabarb. &c. in Cacochymia vero phlegmatica Phlegmagoga ut. Agar. myrob. Chebul. mel rosat. solut. syr. de Agar. & diaenicu. in Melancholica, melanagoga, sc. Sena. Epyth. myrob. ind. de coct. & syr. è sena.*

LV. *Revulsionum præsidiis usurpatis; ad ea accedamus remedia, quæ sanguinis fluxum, vel manifesta, vel occulta qualitate agentia, sistunt.*

56. Ma

LVI. Manifesta qualitate *sanguinem compescunt, vel refrigerando, vel incrassando, vel adstringendo, vel infarciendo, & obstruendo, vel denique urendo. Refrigerant sanguinem,* Aq. *Lactuc. portul. plantag. polygon. equiset. millefol. Endiv. semperviv. solan. sonch. epatic. &c.* Julep. *Rosar. violar. papav. nymph. Lactuc. Hyspan. cond. cichor. cond. Conf. viol. nymph. & quæ sunt hujus generis alia.*

LVII. *Vasa constringunt & occludunt* Aq. *rof. plantag. centinod. hippur. burs. past. portulac. acetos. fol. querc. torment. anserin. Cydonior. gland. fragor.* Syr. *acetos. citr. granat. acidor. ex succ. limon. auranc. acetos. berber. rib. uvæ immaturæ. sive agrest. Syr. cydon. fragor. portul. rosar. sicc. rubr. rub. idæ. Corallin. myrthin. Conserv. acetos. citr. acetos. ros. rubr. acetosell. berber: Ribesia condita, myrobal. cond. pyra moschetell. cond. Cyd. cond. Troch. de Ros. de spod. de Terra sigill. de carab. quæ materia similiter in julepos & electuaria aptari potest. Opiata quoque adhiberi possunt, sed non nisi summa urgente necessitate, sunt autem sequentia, Theriaca recens, Philon. requies Nicol. laudan. opiatum.*

LVIII. *Extrinsecus applicantur ex ordine eorum, quæ manifestis operantur qualitatibus, nimirum refrigerando, incrassando, repercutiendo, aquæ jam propositæ, aut per se, aut cum sucis & pulveribus mixtæ. Suffitum ano undique tecto, è sella perforata, excipat, à concisis foliis verbasc. molari ignito lapidi injectis, excitatum, vel plantag. & verbasc. simul tus. ano admoveat, vel calendula tusa, suco porror. incocta. imponatur, quod pro singulari remedio habetur* Reinero Solenandro conf. sect. 4. conf. 20. *vel parari potest tale fomentum quod* Martin. Ruland. *laudat ex duobus sacculis, alternatim calidè admotis, ex rubro panno conflatis, & glandibus contusis, ac quercus foliis repletis, & in forti aceto multum decoctis, quibus ocyus fluxus consistit, vel cataplasma seq. R. Pil. lep. combust. Tel. arnearum tenuissim. alb. ovi misc. f. cataplasm.* Lazar. River. l. 4. c. 10.

LIX. *Ex iis quæ* occulta qualitate *sanguinem cobibent,*

 foris.

forisque applicantur, sunt crepitus Lup. Epiph. Ferd. *jaspis cum sanguinis guttis* Guilelm. Rondel. *Stercus asini exsiccati, corallia rubr. lap. hæmat. usnea. sive muscus ille, qui craniys hominum defunctorum innascitur, siccus & pulverisatus inspersus. Oleum de vermibus iys, qui dicuntur aselli, pinguedo item anguillæ, quæ, dum assatur, extillat, proprietate quadam hic prodesse scribitur. Sed hæc dicta sufficiant, plura poterunt legi hinc inde apud Practicos.*

LX. *Cum autem hactenus egerimus, de præsidiys Chirurgicis & pharmaceuticis, de* Diæta *ut breviter aliquid dicamus est necessum. Laborans itaque decumbat in conclavi nec calido nimis, nec etiam valde frigido: Is enim fluxum auget: hoc vero præcociter sistit; Cibis & potibus utatur vi adstringentibus, & in crassantibus præditis, à salsis, aromatizatis, & acribus abstineat, vinum meracum vitet, hujus loco decocta, emulsiones & julepi parandi: animo & corpore quiescat, somno utatur iusto longiori, eo namque tempore omnes in universum evacuationes, exceptis solis sudoribus, sisti solent.*

LXI. *Cibi convenientes sunt sequentes; sorbitiones ex pullo assato confectæ; pulmenta ex hordeo, oryza, similagine, parata; pastilli ex mica panis; pedes & capita, Vervecum, vitulorum, aceto, ve succo limonum, aurantiorum, granatorum acidorum, condita, pulli turtures, pisces saxatiles. Denique ex oleribus sunt, Lactuca, Endivia, Portulaca &c.*

LXII. *Toto curationis tempore, pro potu ordinario, æger utatur aqua ferrata, vel decocto mille fol. à vino abstineat, uti superius dictum, & si maxime vino sit asuetus, bibat rubellum, aqua dilutum, prodest quoque emulsio amygdal. dulcium, & 4. sem. frig major. cum decoct. hordei, passul. fl. cordial. glycyrrhiz. & sem. coriandr. præpar. julepi confici poterunt ex aquis & syrupis supra enumeratis, decoctum idem Loti arboris, quod ad omnem fluxionem plurimi momenti semper fuisse fertur. Et hæc sunt quæ de materia præsenti scribere volui. Tibi alme DEUS sit laus honor & gloria in sempiterna secula.*

COROL

COROLLARIA.

I.

Cauteria in fluxu Hæmorrhoidum ſunt applicanda.

II.

Mulieres Hæmorrhoidibus laborant.

III.

Hæmorrhoides etiam alios humores præter melancholicum profundunt.

IV.

Hæmorrhoidum apertio menſes non movet.

V.

Melancholicus humor non eſt cauſa lethargi.

VI.

Mammæ extenuatæ abortum prænuntiant.

VII.

Sanguis menſtruus per ſe & in ſua natura conſideratus non eſt vitioſus.

VIII.

Partus octimeſtris non poteſt eſſe vitalis, ſeptimeſtris contra.

IX.

In Puerpera febri correpta, à tempore partus, non vero à principio febris dies critici ſunt numerandi.

X. Hæ-

X.

Hæmorrhoides non ſolum fæculentum ſed & purum ſanguinem evacuant.

XI.

Quæ cocta ſunt, calidiora ſunt crudis cenſenda.

XII.

Refrigeratio totius corporis, & mutatio coloris ſunt ſigna cordis affecti.

XIII.

In principiis inflammationum repercutientibus medicamentis utendum non eſt.

QUis hoc putaſſet? *ſic frequenter audio*
De te loquentes, Candidate plurimum
Dilecte, & ipſe, tùm Parentis optimi
Cauſa, ad gradum Doctoris aſpirat cito
Schillingius, medicam ſcientiam tenens,
Quem ſterile littus judicabant antehac.
O quàm bene hoc factum! ſiniſtram fallere
Opinionem: virtuoſis actibus,
Bonis amicis gaudium; ſed hoſtibus
Malis dolorem cum pudore gignere.
Qui ſolvit annos ante triginta, malo
Solido, reductione juſta reddere
Tenetur è priore reſtans debito.
Sic perge, ſolidus ille, *vix teruncium*
Valiturus, ut rebantur, aſſis integri
Cenſebitur valore, nec reductio
Fiet, niſi illi, qui tibi obtrectaverat.

Amoris cauſa, affinitate juncto ita
gratulatur Dn. Candidato

Baltaſar Scheid Theol. Candidatus,
Hebrææ Græcæque linguæ Prof.

❧§:(o):§❧